BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
12. Jh. Seite 38v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift



media/ s; nouissima & non peccabis. Validior enim est & uehementior spe
timoris. ad resistendum peccato quam pudor aut dolor: / quia & pudor
de multitudine. & dolor de qualicumq; huius mundi consolatione capit
solatium / timor uero non inuenit unde consoletur. Nam in morte non magnum
non paruum aliquid de bonis huius mundi secum delaturus est. in iudicio nec
fallere nec resistere possibile erit. in gehenna nulla penitus consolatio.
s; perpetuum ue. ululatus & fletus. & stridor dentium.
Iustum deduxit dns per uias rectas & De eo qd scriptum est. Iustum deduxit d. p.
ostendit illi regnum dei / & dedit illi scientiam sanctorum. honestauit illum in laboribus
& compleuit labores illius. Est iustus qui in principio sermonis accusator est
sui / & est iustus qui ex fide uiuit / & est iustus qui absq; terrore est / & primus
qui dicit bonus quia accedit ad uiam. secundus melior quia currit per uiam. tercius optimus.
quia iam appropinquat ad finem uite. Hic tamen accipiamus primum / quem fortassis
uelocius inueniemus. Hunc deduxit dns & non alius. quia ipsius est de uia in
iquitatis ad uiam ueritatis reducere. & deducere per eam. Per uias inquit rectas.
Uie dni. uie recte. uie pulchre / uie plene. uie plane. Recte sine errore. quia
ducunt ad uitam / pulchre sine sorde. quia docent mundiciam / plene mul
titudine. quia totus iam mundus intrat ad sagenam / plane sine diffi
cultate. quia donant suauitatem. Iugum enim eius suaue est / & onus eius leue.
Et ostendit illi regnum dei. Regnum dei conceditur. promittitur. ostenditur.
percipitur / conceditur in predestinatione. promittitur in uocatione / ostenditur
in iustificatione. in glorificatione percipitur. Unde est illud. Venite benedicti
p. mei percipite. r. Sic enim ait apls. Quos predestinauit. hos & uocauit / &
quos uocauit illos & iustificauit. Quos autem iustificauit. illos & magnifi
cauit. In predestinatione est gratia. in uocatione potentia. in iustificatione
leticia. in magnificatione est gloria. Et dedit illi scientiam sanctorum. Scientia
sanctorum est hic temporaliter cruciari & delectari in eternum / & in contrarium
scientia malorum relabitur. Alia est scientia mundi. que docet uanitatem /
& alia scientia carnis que docet uoluptatem. Illa tanquam pater / ista tanquam
mater nobis est. Sic enim mater filio suo semper optat quietem. & omnem prorsus
laborem claudit a filio suo / sic caro incrassata. impinguata. dilatata.
nec minimis saltem digitis patitur esse contingi. Et sic pater uult
filium suum huc illucq; discurrere. ut addiscat aliquid unde magnificetur.